



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

1 Ordinari potest cuius vxor ab eo clam ducta alij nupsit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



gnans sine peccato se scindi permittere potest, vt sic infans in utero existens baptizetur.

DECISIO XXXVII.

Ex cons. 17. & 50. in Nouis, eadem ferè sunt, & desunt in antiquis.

37 Ignorantia iuris nec a peccato, nec ab irregularitate excusat sacerdotem occasionem etiam iustam opitulantem; irregularitas tamen hæc non est illa indispensabilis, quæ a potestate dispensandi data episcopis excipitur, per Conc. Trident. sess. 24. de refor. cap. 6. vnde episcopus in illa dispensare potest, quando ex delicto occulto oritur.

DECISIO XXXVIII.

Ex cons. 26. in Nouis, deest in antiquis.

38 Rixante Petro cum Ioanne pro materia pecuniaria, si Paulus ob id Ioannem impellat in parietem, vnde vulnere suscepto, à quo tamen sanatus, postea infra mensem moritur, mors talis Petro, qui causam propinquam non dedit, ad irregularitatem imputari non debet.

DECISIO XXXIX.

Ex cons. 29. in Nouis, deest in antiquis.

39 Morderamen inculpatæ tutelæ secundum periculum illius attenditur, qui ab iniusta iniuria defenditur, siue seipsum, siue alium defendat, ita Nauar. in Manua. cap. 15. num. 4.

DECISIO XL.

Ex cons. 30. in Nouis, deest in antiquis.

40 Iniuriantem etiam fugientem quamuis insequi possim, & in tantum percutere, quantum est necessarium ad hoc, ne magnam honoris iacturam patiar; Adulterum tamen cum vxore, sorore, aut filia turpiter inuentum occidere licitè non possum; cum nec hic modus necessarius sit, nec lex id concedat; Et si, quia difficile est tam iustum dolorem temperare, pœnam condonet, l. Græchus, ff. ad leg. iuliam. de adult.

DECISIO XLI.

Ex cons. 31. in Nouis, deest in antiquis.

41 Aggressorem, quamuis ad meam necessariam defensionem tunc præuenire possim, quando is statim sine mora me est aggressurus: non tamen quando ex intervallo; quia tunc multis alijs modis, puta me absentando, aut non exeundo domo, aut in locum tutum me recipiendo, morbo item, & morte, vel penitentia me, volentis occidere, mortem effugere possim.

DECISIO XLII.

Ex cons. 33. & 35. in Nouis, eadem sunt, desunt in antiquis.

42 Irregularis est, qui domum ingressus ad adulterandum, se defendendo maritum ad ultimum occidit, cum huiusmodi ingressus ordinari videtur sufficienter ad occasionem suapte natura, lege consuetudine, vel maritorum propensione. Sicut etiam irregularis constat clericus adulter, ob cuius suspensionem maritus ita vxorem percussit, vt abortiret. (Aduertendum, quod cum consil. 47. in Nouis, idem in effectum sit cum consilio 46. in Nouis, & consil. 46. in Nouis, idem sit cum consil. 22. in antiquis, omittitur tanquam superfluum.)

DECISIO XLIII.

Ex cons. 49. in Nouis, deest in antiquis.

43 Dans consilium prægnanti, vt abortum procuret, & mediam, quibus id faciat, docens, quibus adhibitis, non tamen abortiuit, sed postquam bene peperit, puerum natum occidit, quamuis irregularis in foro exteriori censendus non sit, (si mulier ab ipsomet consulente prægnans facta non fuerit) eo quod creditur ex eius consilio infantem natum non occidisse; si autem ab ipsomet consulente gravida facta sit, in dubio præsumitur irregularis, ob huiusmodi consilium antea datum; Nec tuta conscientia mulieri asserenti se

non ex eius consilio motam ad puerum natum occidendum, credere potest.

TITVLVS IX.

De Torneamentis.

Hic titulus deest in antiquis.

SUMMARIVM.

1 Torneamenta periculosa etiam prouocatus ingrediens, an ecclesiastica careat sepultura.

DECISIO I.

Ex cons. ximico in Nouis, deest in antiquis.

1 Torneamenta periculosa etiam prouocatus ingrediens, & alium occidens defendendo se cum tanto moderate inculpatæ tutelæ, quod sufficeret ad excusandum cum ab homicidio, si extra illa inuasus occideret, adeo iudicatur peccator, vt si moriatur in eo, sepultura ecclesiastica careat. c. 1. de torneam. Si autem ingrediatur duellum, non solum peccat, sed etiam excommunicatus est, alijsque pœnis afficitur, & si in eo moriatur, ecclesiastica sepultura priuatur, ita Conc. Tri. sess. 25. de ref. c. 19.

TITVLVS X.

De Adulterijs, & stupro.

SUMMARIVM.

- 1 Ordinari potest cuius vxor ab eo clam ducta alij nupsit.
- 2 Adulter ad recipiendam coniugem adulteram cogi potest.
- 3 Iudex ecclesiasticus in concubinarios, vt procedere queat.
- 4 Cap. de ref. sess. 25. an in simplici incontinetia locum habeat.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 9. de conuers. coniugat.

1 Qui Matrimonium ante Concilium Tridentinum secl. 24. cap. 1. de ref. matr. clam contraxit, & vxor eius postea publicè alteri nupsit, ex quo filios suscepit, & matrimonium prius negauit, etiam si ipse clam postea adulteretur, sacros ordines ex Papæ dispensatione iuste suscipere potest, c. Agathosa. 27. q. 2. & illis vt pro tempore, quo illa viueret nupta, mortuo tamen eius marito, si ipsa ad eum redire vellet, in foro conscientie illam accipere tenetur, & ab usu ordinum desistere.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 1.

2 Vir, & vxor adulterantes, & postea ab iniuicem discedentes, non obstante utriusque adultetio, a iudice cogi possunt, vt simul cohabitent, immo vxor maritum religiosum factum ad euitandum incontinentie peccatum, & simul cohabitandum, reperere potest, quia cum vterque adulterium commiserit, mutua compensatione exceptio indata subinata est, c. intelleximus. de adult. & Nauar. in Man. c. 22. nu. 23.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 8. de off. iudic. ordin.

3 Quamuis Concilium Tridentinum, sessio 24. cap. 8. de reformar. matrim. contra concubinarios varias pœnas, & vias procedendi contra illos statuerit; potest tamen iudex ecclesiasticus contra eosdem concubinarios, & concubinas non solum per viam inquisitionis, sed etiam viis nimium per viam accusationis, & denunciationis procedere, cum lex noua remedium adiuuans non censet.